



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Barbara V. & M. 4. Dec.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

rum comitia locum vellet capeffere, aditu prohiberi, quod in veste catera candidiffimâ unicam maculam pr̄ pectore gestaret, quam tamen ipsam mox unâ cum injuriæ memoriâ ex animo delevit. Mortuus est anno M. LXXV. cum se *MARIÆ* unice ac fâpius commendasset. Cælum nempe subiturus januam hujus pulsabat. *Sur.*

S. BARBARA V. & M. 4. Dec.

Nvllius tam à vitâ nomen ablufit, quàm *BARBARÆ*. Dioscorum habuit parentem Deorum mancipium, ipsa *DEO* addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si unquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut fidei radii splendidius animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit, gnara qui mentibus lavandis ex hâc fontes scaturirent. Interea cum stomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, & ferro insequitur. Sed sinum, quo parens expulerat, mons præbuit disclusus. Et lubens thesaurum hic occultasset, nî, qui miraculum viderat, innocentem oviculam pastor nequam prodidisset. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua videt, sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam ca-

stiffi-

stiffimæ abscindi, non facturus, si
bibisset ubera. Hinc novus filia suæ
leno per urbem ludibrio circumduci
sustinet unâ verecundiâ tectam. De-
mum è tyranno carnifex suâ manu
non barbaram filiam barbarissimus
parens demetit. Sed carnificis carnifex
fulmen fuit, quod in eodem loco sce-
lus extinxit. Nunc BARBARA illis è
caelo opitulatur, qui, ne sine sacro epu-
lo diem ultimum obeant, orant. Testis
ejus rei locuples Stanislaus est sanctif-
simus è Societate IESV adolescens;
quem si æmulabitur, rectè faciet ado-
lescentia. *Ex Baron.*

S. SABA S ABBAS. 5. Decembris.

SAbam si spectasses, Imperatorem
dixisses; ut qui monachorum exer-
citurum non unum ducebat, viros om-
nes, quales vultu etiam se ferebant,
cùm ille imberbem in castra sua nemi-
nem admitteret. Sævicitis fornacis
flammas scribitur crucis signo extin-
xisse; feras & feris mage feros homi-
nes domuisse: Agarenum qui fallaci
animo accesserat, terræ hiatui devovif-
se: templum, cœlo monstrante, in rupe
alicubi reperisse: in genium malum
ab ipso Christo amarus depugnasse,
ab eodem nunc cibariis, nunc pecuniis
donatus. Iam leonem, qui medicam
SABÆ manum expertus erat, ajunt